



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XII. Sancti Patris Benedicti. M.C.XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

Ne absque purpura etiam gloriosissimi Martyrij hic annus esset, nobilitarunt eundem generosissimo agone duo spectatissimi ex Ordine Benedictino pugiles, viri venerandi Nicolaus Sadierus & Nicolaus Huttonus, quos Rex in memor fidelium monitorum vitæque atque exempli sanctissimæ Martyris & Matris suæ, in eadem, etsi alio falsissimo prætextu, decapitatæ causâ, ob constantissimam unicè salvantis Fidei defensionem, in vincula rapi, arctè haberi, rigidè examinari, & capitali sententia ad mortem condemnari iussit. De his *Joannes Molanus Corægensis in Epitome de Martyribus Angliæ.*

Superiore anno decesserat Præsul eximius meritis, & unustomo integro dignus Jacobus Delrio Abbas de Bodeloo incomparabilis, quem celebrantes expectavimus oculatorum, testimonium, donec Epitaphium ponerent, ne nos multum dixisse videremur. Sequens posuere:

Jacobus Delrio Abbas de Bodeloo.

Abbatum Exemplum, Specimen Venerabile morum,

Spes inopum, Fidei splendor, honoris honor

Et Patriæ communis Amor, verè aur ea prisca Vena boni, & Rivus perpetua uber opis.

Quæ Delrio tibi simul omnia confluxere. Omnia nunc tecum, tot periere bona.

Aut potius calum tecum subiere petente Omnia, ut Oceanum flumina prona petunt.

Ita laudasse satis duximus, simul & parentasse. Ex Monumentis Bodelooensibus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XII. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXII.

SUmmo Romanæ Ecclesiæ totiusque Regni Gallici luctu, valedicit hoc anno mortalibus, Eminentissimus sacra Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, nec non Lexoviensis & Metensis Cathedralium Ecclesiarum, Episcopus

Ven. Annas d'Escars S. R. E. Card. moritur.

Dominus Annas ab Escars, sacra purpura ornamentum singulare, Princeps omni laude major, verus ovium suarum pastor, pauperum omnium pater, afflictorum consolator, tantus omnino talisque vir, qui propter evidentia sanctitatis signa, pro miraculo omnino & ab omnibus haberetur. Decessit religiosissimè in Castro suo Principali, cognomine Vic; post sumptio-

nem omnium SS. Ecclesiæ Sacramentorum, & post Benedictionem tanquam alter Patriarcha Jacob omnibus domesticis suis datam, in felicissimum somnum sanctè resolutus die 19. Aprilis hujus anni, hora octava Matutina, inexplicabili omnium luctu deploratus, à puero, ad supremam usque ætatem, omnibus amabilis, de cujus jam grandævî senectâ, ipso perfamiliariter usus illustrissimus Gaspar. Scioppius *cum summa prudentia, inquit, eam ipsam omnibus probabat innocentiam, in qua S. BENEDICTI habitum, non plus octo annos natus susceperat.* Laudatus fuit oratione funebri ab Andrea Valoderio, postea S. Arnulphi Abbate, cujus mortis annus hoc numerali carmine indicatur:

Justine encomium.

LaVs pla pVrpVrel CæVs CLaVstrlqVe CoLVMna

Anno hIC eXpresso GiVrIVs astra petlt.

Demeruit plurimum, nostrorum antiqua consuetudine, novum in Gallijs Sancti Francisci de Paula Minimorum Ordinem, cujus Alumnos paternè fovit, quique sub ejus auspicijs insignis Metis Cænobium condiderunt. Corpus ejus fuit Metas allatum 26. diei mensis Aprilis, & depositum in Ecclesia S. Maximini, postera vero die 27. scilicet, fuit à toto clero inde translatum quàm solemnissimè, & in ea sepultum. Magnificentiâ sepultura, respondit magnificentiâ receptionis & introductionis. Mausoleum spectatur in Sacello, quod est retro altare majus, è præstantissimi generis marmore, cum representatione sculpta ipsius personæ, & sequenti Epitaphio:

S. Pauli Minimorum Ordinis ab ipso promotus.

PIIS MANIBUS ÆTERNÆ MEMORIÆ plorabile busto, Antistitis desideratissimi, omni ævo retro dolendi

Anne d'Escars Tit. S. Susanne S. R. E. Præsbyteri Cardinalis de Guiry nuncupati, qui paterna indole, clara familia d'Escars, materna prosapia prime Longoviorum Nobilitatis, egregia Principum Aurelianensium consanguinitate, infelicissimo sæculo, feliciter Ecclesiæ datus, Parisijs editus, Divione in antiquissimo Divi Benigni Cænobio, Sancti BENEDICTI disciplina institutus, professusque, indidem Abbas, tum Lexoviorum Antistes electus, 10-

Epitaphium tanti Cardinalis.

1a Gallia præclarus, Roma perquam illustris, Metis amabilis, ubique stupenda lenitate, spectabili senio, rara pietate innata gravitate, mirabilis ac venerandus, Regi percharus, Pontifici Maximo jucundissimus, omnibus æternum lamentabilis, Ecclesie Metensis Pontificatu, simul & castissima vita perfunctus, Vitam immortalis gloria deproperatam oppetit XIII. Cal. Majas, anno ætatis 68. sæculi vero Christiani supra millesimum sexcentessimam duodecimam.

Leander à
S. Martino.

Leander, à S. Martino dein cognominatus, de quo supra, in Collegio interea Societatis Jesu Patribus credito sive seminario quodam commodè accommodatus, admirationi omnibus ab tanto in studijs progressu fuit, optimis se juxta moribus, non minus quam Angelica vultus gratia commendans; cum fortè à Patre aliquo Societatis in Urbem propter negotia egresso, socius adhibitus, in foro publico circumferens oculos, eminus contuitus, cum socio Religioso Sancti Martini Abbatem, pedes modestè incedentem, mirabili quodam Spiritu raptus (neque enim antea ullum viderat Benedictino in habitu amplis ex more manicis cucullatum) præcoci cursu, non tam pedibus, quam animo volans, quem volebat illico assequutus, spectante magna multitudine hominum ad eum se pedes abjicit, tenet, rogat, supplex efflagitat, in contubernium suscipi, contuente procul Patre, & erubescente, super juvenis cæteroquin gravissimi, & vercundissimi tam insolenti cursu, & ad pedes ignoti hominis abjectione. Animadvertit statim Vocationis gratiam, vimque ac impulsu vocantis Abbas visus est; præsul cæteroquin fama sanctitatis clarus; & incertum quo responso dimissum, an sequi iustum, constantissimum sane in proposito juvenem deprehendit. Suspecta Patribus Societatis res fuit, ne sive per litteras, sive per intermedias personas, commendata tota urbe & cognita juvenis Virtus, etiam Religiosorum S. Martini animos concitasset, ad hominem quibuscunque artibus sibi vendicandum: cujus saluti & ipsi consultum cupierant, & ad magna natum, magnis etiam rebus, in multi sequuturi fructus spem, destinaverant; cum ille obfirmatissimo animo, omnes alias conditiones à se juxta promissâ amplissi-

Mirè ad
Abbatem S.
Martini
raptus.

Suscipitur.

ma rejiceret, & à suo, cujus amplexus pedes esset, Domino Abbate abstracti nulla ratione permitteret; donec delata re ad Episcopum, ipse adesse cum Abbate jussus, attonito super primo intuitu cœlesti quid præferentis Leandri Episcopo, hic in genua provolutus, Vocationem suam, nullo interveniente homine à Numine factam, Pontifici disertè recenseret, & suam in navi extasim, inque hac visionem detegeret. Ita, ut & Episcopus, & Societatis Patres, non minus quam Abbas, Dei in juvene gratiam agnoscerent, & Dei magnalia celebrarent. Ut hinc facile videas, Numen optimum hoc vas Electionis Congregationi nostræ Anglicæ, in specialem Apostolatus gratiam, jam tunc designasse & destinasse, quod suo loco dabimus. *Ex relatione ejusdem Congreg. Patrum, & R. P. Rom. Hayo.*

Sic Leandrum (quo enim ante Monachilinum dictus sit nomine, ignoramus) Divina disponente, ad Angliæ subsidium providentia, hoc iterum anno, alius è Nostris Præfata Congregationis Monachus, Britanniam gloriosâ confessione & pretiosissimi sanguinis purpura condecorat, Reverendus P. F. Guilelmus Scotus, Nobilitatem Generis, solidissima Generositate, meritis gravissimis, & dignissimâ in asserenda Catholica Fidei Veritate constantiâ comprobans, & æternum commendans, post crebros carceres & exilia, ad munus suum Apostolicum, haud impari alacritate, contempto omni vitæ periculo reversus, Londini denique Nonis Junij, in magna corona spectantis populi glorioso Martyrio consummatus. *Ex Hist. Mart. Angl.*

Ad Episcopum
disfertur.

Vocationis
gratiam
recitat.

Ven. P. Guilelmus
Scotus.

Martyrio
coronatur.

Moritur hoc etiam anno insigne Ordinis nostri decus Reverendissimus Pater F. Victorinus, quondam Casinensis Abbas meritisissimus, ex in Stabienensis, tum Arianensis Ecclesie Episcopus, denique inter Assessores Summi Pontificis Episcopos coopatus, Clementi VIII. & Paulo V. charissimus, cujus superesse, ait Marcus Antonius Scipio noster, quæ scripsit, litteratorum judicio, & confessione, plena doctrinæ, plena sapientiæ & magni ingenij volumina. *Videatur Scipio cit.*

Obijt Victorinus
Stabienensis.

In Hispanijs claret R. P. F. Ludovicus de Mendoza S. MARIÆ de Spi-

Ludovicus
de Mendoza
S. M.

na Monachus ab egregia Vita integritate non minus, quam acuratiore eruditione celebratus, qui tamen ad studia sacrarum litterarum animū quā maximē appulit, & Sanctorum Doctorum libris perlegendis se exercuit; ita ut in omnibus perfectus evaderet, erat enim acri ingenio, & ad quidvis apto, quo quascunque quæstiones capiebat. Hic ne posteritas laboris sui fructu fraudaretur, reliquit sequentia: *Vitas Sanctorum, per ordinem mensium, in proprios eorum dies Natalitios distributas. Tomis 6.*

Ingenij
monimentum.

*Summam Theologiae Moralis septem arboribus comprehensam.
Epistolam Symbolicis Characteribus & ingenio plenam ad Philipp. III.*

Petrus de
Lorca obiit.

Moritur hoc eodem anno Petrus de Lorca Congregationis Hispaniae Reformato Generalis, de quo supra; & Ignatius Firminus de Hiberō Nucalensis Cænobij Asceta, Abbas Viteri, Philosophus & Theologus præstantissimus, Mathematicus curiosissimus, imo quasi omniscius, cum nulla ferè esset Liberalium artium, cujus cognitionem non teneret; ita ut omnibus admirationi esset, in uno homine tot, tamque perfectas gratias cum acquisitas, tum naturales reperiri. Fuit celebre ejus nomen in Complutensi Universitate, ubi Theologiam publicè professus est, & Durandi Cathedram moderatus. Reliquit præstantia aliquot nobilis ingenij in suis voluminibus specimina, inter magnos magni operis conceptus conatusque, ad præmia æternitatis hoc anno vocatus. *Ex Ang. Manrique Chrysof. Henrig. &c.*

Translatio
S. Agrigoli.

Hoc ipso anno, memorabili plausu Avenionensium summa cum Ordinis gloria & gratulatione solemnissimè elevatur & transfertur corpus sacratissimum S. Agricoli nostri Avenionensis Episcopi & Urbis ejusdem celeberrimi Tutelarioris, facta per Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Stephanum ejusdem loci Archiepiscopum translatione ad altare majus Metropolitanæ Ecclesiæ, ubi in arcam inclusum argenteam, religiosissimè asservatur & colitur.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XIII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXIII.

Iterum stella insignis coelo Empyreo inferitur magno Cælitum plau-

su transumpta ex Monasterio Ferrariensi in Hispanijs P. Ambrosius de Herrera. Fuit iste exemplar perfectionis perinsigne, magnis Virtutibus illustrissimus, charitatis in primis in Deum atque proximum, humilitatis deinde atque Obedientiæ perfectioris exemplis celebris, cœlestes consolationes inter orandum experiri meritis, easque inter, gravi aliquando morbo oppressus; & lectulo affixus, *Speciosum præ filijs hominum cœlesti splendore circumdatum, & candidissimo Cisterciensium nostrorum cuculle indutum* conspiciens, mirificè recreatus ac prodigiosè restitutus convaluit, postque aliquot dein annos sancto fine, pridie Calendarum Maij decessit. *Ex Theodoro Mon. Perfect. Chrysof. Henrig. & Menol. nostro.*

Ambrosius
de Herrera
&c. vij.

Christi
ipso appa-
ru.

Extinguitur & aliud præstantissimum Regni Galliarum totiusque Ordinis Sydus Maria Senior S. Aniani Comitissa, Junioris Bellovillariensis sanctissima amita, Bellomontensis juxta Turones splendidissimi Virginum Benedictinarum Cænobij dignissima Abbatissa; exemplar absolutissimum omnis perfectionis, ad quod se Junior toties commendata à nobis, per omnia composuit, ita à seniore formata, ut tenellula etiamnum in pœnitentiæ palestram suam ultro devoveret innocentiam, in qua nihil tam arduum, nihil in humilitatis pulvere abjectum & tenue, nihil in obedientiæ aliarumque virtutum schola, adeo præstans & perfectum, quin eadem tenellula Virgo, non exemplo potius Amitæ doctæ, quam verbis liberrimè amplecteretur. Ad seniore, etiam jam Abbatissa Montis creata, in omni necessitate, in omni dubietate animi & anxietate, tanquam ad Oraculum suum confugit, & semper consilium & auxilium, imo solatium animi maximum retulit. Fuit Bellovillariensis Senior Zelatrix Ordinis mirifica, virili prorsus animo fæmina, talis omnino, ut ejus Monasterium, absque exemplo, exemplar alijs Cænobijs fieret, ipsa vivum simulachrum sanctitatis haberetur. Decessit Antistita felicissima hoc anno mensè Novembri, cum jam providè Monasterio suo consulisset, neptim suam vere Illustrissimam Coadiutricem assumendo, quæ etiam tanto promptius

Maria Senior
Bellovillariensis
Abbatissa.
venerabilis
omnis amica

Zelatrix
Ordinis
mirifica

in